DISSERTATIO THEO

DE

PRECI

CHRIS

PRO FIDE PETRI,

RET, FUS

QUAM,

PRÆSI

CHRISTOPH. MA

PFAFFIO

S. THEOL. DOCT. ET PR

UNIVERSITATIS CANC

ABBATE LAUREACE

AD DIEM XVIII. JAN. MDCCXLV

M. GEORGIUS FRIDERICUS SCHL

S. Theol. Stud. & Ser

TUBING

IMPRIMEBAT GEORGIUS FRID

THEOLOGICA

IBUS

ISTI

I, NE DEFICE-
FUSIS,

M,

SIDE

MATTHÆO
TIO,

T-PROF. PRIMARIO,
CANCELLARIO,
IREACENSI,

MDCCXLVI. DEFENDET
S SCHLEICH, Dornſtettenſis.
l. & Ser. Stip.

INGÆ
IS FRIDERICUS MEZ.

Poſt convivium ultimum, poſt cœnam paſchalem, poſt epulum evchariſticum, cum Salvator optimus jam eſſet in viâ conſtitutus ad montem olivarum, ſermonesque cum diſcipulis ſereret, prædiceretque, fore, ut omnes ſcandalum caperent ex capturâ, quæ inſtaret, ſuâ, Petrus ex illis, longe generoſius ſibi pectus eſſe & fortiorem animum, reſpondit, quippe ſe & mortem pro Magiſtro ſuo obeundam non timere, quod & asſeverabant reliqui. Salvator rerum præſcius non ſaltem Petro, quod ter ipſum abnegaturus eſſet, repoſuit, ſed & hæc ad ipſum fecit verba: *Simon, Simon*, (neque enim merebatur vocari Petrus, omen nominis abnegatione ſua haud præſtiturus) *Satanas expetiit vos cribrare, ſicut triticum.* In plurali loquitur Salvator numero de Petro, ſed & de reliquis Apoſtolis, quos Satanas ad tentationem expetiiſſet a Deo, uti Jobum. Satanas enim ſine Dei permiſſione pios tentare non valet. Cum cribratur triticum, turbantur, disjiciuntur, concutiuntur grana. Amos IX. 9. Ita concutere, disjicere, turbare, tentare ad defectionem a Salvatore, erat animus Satanæ. Nolo explicare hanc cribrationem ex agitatione manipuli & primitiarum Deo offerendarum ex prima meſſe Lev. XXIII. juxta traditionem Judæorum cribrandarum prius, antequam adolerentur in altari, quæ ſententia eſt Harenbergii ad Luc. XXII. 31. 32. in meditatione Bibliothecæ Bremenſi Cl. 8. faſc. 3. n. 3. p. 414. ſeqq. inſertâ, qui putat, typum ſe hîc inveniſſe & Chriſti cribrandi & Apoſtolorum cribrandorum. Sufficiat nobis hærere in hoc

cribrationis tertio, quo grana cribro injecta disjiciuntur hinc inde, non quo purgantur. Turbabantur sane, concutiebantur, in terrores & angustias conjiciebantur Apostoli, cum caperetur, cum ad judicia raperetur, cum ad mortem traderetur Christus, ita quoque, ut fides ipsorum vacillaret Matth. XXVI. 31. 56. Non erat, qui comitaretur ipsum ad crucem, nisi Johannes Joh. XIX. 26. Maxime vero Petrus, magnus licet olim promissor, licet & gladio defenderet primum Salvatorem, fugit tamen, cum caperetur, nihilominus cum cæteris, tanto actus terrore, ut in aula Caiphæ Christum ter abnegaret, juramento quoque adjecto. Prædixerat hæc Salvator, prædixerat cribrationem discipulorum, prædixerat abnegationem Petri, cui tamen præ cæteris specimen edituro fracti animi, in specie dixit Luc. XXII. 32.

ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου.
Ego vero pro te oravi, ne deficiat fides tua.

Plana sunt verba, oraturum se, Patrem scilicet, ne, licet abnegatione suâ perditurus esset fidem Matth. X. 28. 33. Marc. VIII. 36. sqq. 2. Tim. II. 12. 2. Pet. II. 1. fides ipsius *finaliter* deficeret, sed resipisceret pœnitentiâ ductus, quod & accidit Luc. XXII. 62. Ex complemento rei prædictæ fluit prædictionis sensus. Certe intelligitur hîc fides, quâ actus edixerat olim, Jesum esse Christum, filium Dei vivi Matth. XVI. 16. Joh. VI. 68. 69. & Messiam illum professus est Marc. VIII. 29. Luc. IX. 20. & omnia reliquit, ut Christum sequeretur Matth. XIX. 27. Nolim sane cum doctissimo Oedero, qui sub nomine Sinceri Pistophili novas explicationes difficilium locorum Script. S. edidit T. I. p. 802. sqq. per πίστιν intelligere fidem in servando promisso, quo Petrus se obstrinxerat, se Christum non abnegaturum Matth. XXVI. 33. 35. imò & cum ipso in carcerem & ad mortem abiturum Luc. XXII. 33. Etsi enim Jer. VII. 28. אמונה *veritatem* dicat, quæ & in servandis promissis demonstratur, etsi & Scriptores profani voce πίστεως subinde idem significent, ea tamen hîc fides intelligitur, cujus per abnegationem suma Petrus fecit naufragium, per pœnitentiam recuperanda, ea

fides,

fides, qua hactenus adhæserat Christo, ea fides, quæ in locis supra allegatis prædicatur. Si fidelitatem in servando vel tandem promisso intellexisset Christus, alia adhuc verba additurus fuisset, quæ hanc vocis πίστεως notionem determinâssent. Ludicra verò & profana prorsus nullâque attentione digna est ista explicatio, quâ Oraculum Salvatoris torsit Irenæus Hygiophilus in Apologiâ Politicæ Catholicæ p. 221. *Ich habe den Wirth, bey dem du das Osterlamm angefrömmt und den du nicht bezahlet hast, auch nicht bezahlen kanst, vveil Judas mit dem Beutel durchgegangen, vor dich gebetten, daß dein Credit nicht aufhöre.* Apage impietatem, apage ineptias!

Existimem, ex oraculo Christi sic explicato fluere sequentia porismata. I. Magna est sollicitudo Salvatoris in revocandis ad pœnitentiam peccatoribus. Oravit pro Petro ipsum abnegaturo adeoque futuro ipsius lapsu, ne in illo persisteret periretque. II. Gratia divina revocatrix maximos quoque peccatores ad pœnitentiam animat. Rom. V. 20. III. Christus Patri subjectus est ut Mediator, ut homo, ut exinanitus. Patrem orat. IV. Benè nobis, qui intercessorem habemus tàm validum, Christum, si peccaverimus, 1. Joh. II. 2. V. Christus pro nobis orans & nobis exemplar orationis est ad Patrem in necessitatibus *nostris* & *aliorum* quoque fundendæ. Vides, quàm necessariæ sint preces, in tentationibus maximè. Matth. XXVI. 41. Marc. XIV. 38. Debemus hoc officium nobis, debemus proximo. a) VI. Maximum est fidei pretium. Pro fide Petri orat Christus. Hac stante, quicquid est officiorum Christianorum, sponte sequitur. VII. Sancti sunt labiles, fides est amissibilis. Nisi hoc esset, Christi oratio pro fide Petri fuisset supervacanea. Supponit enim labilitatem, imò & lapsum Petri. Supponit, posse fidem ἐκλείπειν, quod in sacris subinde est emori. Vide diss. nostram de lucro ex mammona ini-

a) Ita Cyprianus Ep. 7. ad Clerum de precando Deo & in libello de oratione dominica.

quitatis capiendo p. 7. VIII. Qui ſtat, videat ne cadat. 1. Cor. X. 12. Petrus cecidit, qui tanta de ſe præſumſerat. Noli hic imitari Apoſtolum. Noli eſſe ſecurus. IX. De futuro gratiæ ſtatu fideles nequeunt eſſe certi *abſolutè*, ſed ſaltem *hypotheticè*, poſſunt enim cadere. X. Perſeverantia in fide non eſt opus naturæ, ſed gratiæ, effectus interceſſionis Chriſti. b)

Aſt vellicant aurem hîc I. Sociniani, II. Pontificii, III. Reformati, qui alia longe ex hoc Chriſti oraculo deducunt dogmatica poriſmata. Sociniani ex precibus Chriſti pro Petro fuſis arguunt, ipſum non eſſe verum Deum. Non orare cauſantes, niſi qui inferior ſit & ipſe præſtare non valeat, quod ab altero petit. Pontificii exiſtimant, infallibilitatis donum, uti & indefectibilitatis, imo & primatum hîc à Chriſto fuiſſe collatum Petro & omnibus ipſius in ſede Romana ſucceſſoribus vel ſaltem ſedi aut Eccleſiæ Romanæ aut Conciliis promiſſam eſſe infallibilitatem & indefectibilitatem hanc, cum Chriſtus non pro reliquis Apoſtolis, ſed pro ſolo Petro oraverit, ne ipſius fides deficeret. Reformati ex hoc dicto arguunt, fideles eſſe illabiles *totaliter* & *finaliter*, fidem inamiſſibilem eodem modo. Orationem, quam pro Petro fuderit Chriſtus, fundi ab hoc pro fidelibus omnibus & effectu ſuo nunquam poſſe carere. Joh. XI. 42. Hebr. V. 7.

Agedum, primò manus conſeramus cum Socinianis. Dixerint hi, haberi in textu noſtro verbum ἐδεήθην, quod proficiſcatur à δεῖ oportet, & ſignificet orationem ex ſenſu propriæ indigentiæ oriundam. Reſpondeat Ignatius in Ep. ad Smyrnæos §. 7. *Chriſtum oraſſe, ne deficeret fides Apoſtolorum, non, quòd non valuerit cuſtodire illam, ſed veluti gaudentem Patris excellentiâ.* Pater enim Chriſto homine & mediatore major eſt Joh. XIV. 28. Rogavit autem Patrem Chriſtus, licet ipſi quoque, ut homini exinanito omnia tradita eſſet a Patre, etiam collatio ipſius vitæ æternæ fidelibus dandæ Matth.

b) Ita Auguſtinus de corrept. & gratiâ C. VI. Quid ei rogavit, niſi perſeverantiam usque in finem, quæ profecto, ſi ab homine homini eſſet, à Deo poſcenda non eſſet. Ita & idem in ep. 282. ad Joh. Epiſc.

Matth. XI. 27. Joh. III. 35. XIII. 3. XVII. 2. secundum œconomiam voluntarie assumtam, quæ μορφὴ δȣ́λȣ forma servilis Paulo est Phil. II. 7. in media paupertate ditissimus 2. Cor. VIII. 9. Ast & petere quid ab æquali, imo & ab inferiore possumus, petere &, ut in consortium operis, quod ipsi præstare possumus, veniat & alter. Transeant itaque hîc φλυαρίαι Crellii de uno Deo Patre L. I. Sect. 2. C. 17. quas retudit Petavius Theol. Dogm. de Trinitate L. III. C. 4. §. 6. sqq. & Calovius in examine librorum Crellii de uno Deo Patre §. 195. sqq.

Eadem facilitate & Pontificiorum ψευδερμενεία elidenda venit. Haud dici potest, quantum negotii sibi facessat Robertus Bellarminus Card. de Romano Pontifice L. IV. C. 3. ubi tres loci nostri recenset expositiones, quarum prima, Christum hîc orasse pro Ecclesiâ universali, secunda, orasse pro perseverantia solius Petri usque ad finem, tertia est, orasse pro indefectibilitate & infallibilitate Petri & Successorum ejus in sede Romana, quam & amplectitur ipse & omnes illi, qui infallibilitatem Pontificis Romani statuunt, quorum & dari posset phalanx, si tanti res esset. Ex recentioribus Bellarminum hic exscripsit Cælestinus Sfrondratus sub nomine Eugenii Lombardi in regali sacerdotio Romano Pontifici asserto L. III. §. 2. n. 2. p. 473. sqq. Adjici potest Serry de Romano Pontifice falli & fallere nescio diss. 1. Cap. 2. p. 11. sqq. & anonymus, qui Bossueti librum mox citandum Venetiis A. 1734. refutavit sub titulo: Romani Pontificis privilegia diss. I. §. 2. p. 4. sqq. Argumenta Bellarmini hæc sunt. I. Peculiare quid Petro fuisse exoratum a Christo, quod ad cæteros Apostolos non pertineat. Cum enim dixisset Salvator, Satanam discipulos cribraturum, dixisse deinceps soli Petro: *Ego vero pro te oravi & confirma fratres tuos.* Verba itaque hæc neque de Ecclesiâ universali neque de perseverantiâ Petri in fide explicari posse, quia illa quidem deficere nunquam possit, nec fratres habeat, & si posterior adoptetur sententia, Christus, qui pro perseverantiâ

omnium Apostolorum oraverit Joh. XVII. 11. 15. pro perseverantiâ Petri bis oraturus fuisset, quod ἄτοπον sit. II. Non orasse Christum, ut charitas, sed ut fides Petri non deficiat, quæ nec defecerit unquam, licet charitas defecerit. Infallibilitatis ergo in doctrinâ privilegium exoratum fuisse hîc pro Petro, sed & III. pro successoribus ipsius in sede Romana, quicquid enim oraverit hîc Christus pro Petro, orasse in utilitatem Ecclesiæ, quæ utique prorsus indigeat capite infallibili. IV. Addit, hanc expositionem esse Patrum Lucii I. Felicis I. Leonis M. Agathonis, Nicolai I. Leonis IX. Innocentii III. Paparum, Theophylacti itidem, Petri Chrysologi, Bernhardi.

Ad I. respondeat M. A. de Dominis L. I. de Republ. Eccles. C. 6. §. 39. f. 60. *Quod pro Petro seorsim orat, significat, eum pejus omnibus lapsurum.* Habebat itaque præ cæteris omnibus opus intercessione Christi, ut relevaretur a lapsu. Verum est, Christum & præ reliquis orasse, ut servarentur a malo. Sed quis dixerit, ἄτοπον esse, specialiter deinceps exoratum fuisse pro Petro, ut restitueretur lapsus. Ad II. respondeat Dan. Tilenus in notis: *Si non defecit Petrum fides in corde, cum deficeret confessio in ore, non prorsus certe defecit ejus charitas, aut si ea defecit, ut vult Robertus, sequitur, Christum orasse pro fide mortuâ, pro cadavere fidei, pro fide, qualis est dæmonum. Hoc igitur erit donum illud ad successores transmissum. Atqui, si cadaverosa, informis exanimisque fuit Petri fides illa, pro qua oravit Dominus, nonne potius orandum fuisset, ut talis fides deficeret ac desineret in Petro, quàm, ne deficeret.* Scilicet fides illa Petri, de qua textus Scripturæ supra produximus, sine charitate esse non poterat, qua deficiente deficiebat sane & illa, & quî defecisse haud censenda sit, quæ abnegata fuit tam solenniter, juramento interposito, & ternâ vice. Ad III. recte regerit Tilenus idem: *ut ægroti ex gravissimo morbo recreati curatio inepte dicitur privilegium, sic Petri in gravissima tentatione periclitantis sustentatio singularis non minus insulse ita appellatur, atque, ut hoc*

charisma personale, ipso etiam Bellarmino fatente, non manavit ad Pontifices, successores Petri qui finguntur, *ita de altero illo, quo datum* dicitur Petro, *ne unquam aliquid doceret contra fidem, certi sumus, commune id fuisse omnium Apostolorum, eoque non posse vocari solius Petri privilegium. Ad* Successores *autem* eosque fictitios *manasse, ne ex minimo quidem in verbis Christi, qui solus ista largiri ac distribuere potest, vestigio ostendit Bellarminus.* Adjiciendum erat & hoc, non tam de fide pro orthodoxiâ sumtâ, quam tamen & amisit, cum fidem abnegavit, hoc est, quæ creditur, sed maxime de fide, quâ creditur, de fide illâ, quâ Christum norat & agnoscebat Dei Filium & Servatorem mundi, & quam abnegaturus erat Petrus, heic sermonem fuisse Christo, ut contextus docet. Neque enim tam prædixerat Christus, fore, ut heterodoxus evaderet, quam, ut ipsum ter abnegaret, timore actus periculi & a Diabolo seductus. Jam &, quod hîc oravit pro Petro, ne in lapsu permaneret suo, orat & pro fidelibus omnibus, quorum generalis intercessor est. Joh. XVII. 15. 20. Ad IV. respondemus, Lucii & Felicis I. epistolas esse supposititias & ab Isidoro peccatore confictas, nec, uti & cætera testimonia, inferre, Pontifices Romanos esse infallibiles, sed hactenus saltem Ecclesiam Romanam vel & ipsius Pontifices fidem Petri actu servasse, & vi promissionis, a Christo quæ data sit Petro, præsumtive etiam servaturos, vel saltem a fide Christiana non defecturos. Qui plena hic pocula petierit, adeat Joh. Launoji epistolas ad Antonium Varillaum & Jacobum Bevilaquam, quæ exstant operum T. V. P. 2. n. 2. 6. f. 25. sqq. 71. sqq. & in quarum posteriore prolixe refert veterum & recentiorum testimonia, qui vel ajunt, Christum pro perseverantia finali Petri in fide orasse saltem, vel putant, ex hoc dicto elici posse, Ecclesiam universalem Romanam vel sedem saltem hanc aut concilium universale nunquam a fide defectura esse, qualia loca & produxere Richerius in defensione libelli de ecclesiastica & politica potestate L. II. C. 5. §. 45. 47. 59. L. IV. C. 5. §. 1. sqq. qui & ad argumenta Bellarmini respondet L. III. C. 5. qu. 4. §. 28. 29. 30. itemque Bossuetus

in defensione declarationis Cleri Gallicani de potestate ecclesiastica P. I. L. I. C. 7. 9. 15. L. II. C. 3. 4. 7. 11. Priorum cum major sit numerus, posteriores facile dimittimus, qui textum contra contextum torquent, cum, uti jam demonstratum, de fide, quam abnegaturus erat Petrus, restituenda sermo sit, & restitutio è lapsu ipsi permittatur, nullum privilegium, quod ad successores ejus sive veros sive fictitios extendi possit, quos in fide errasse & errare adhuc ex ipsis Romanæ Ecclesiæ filiis non pauci sunt qui agnoscant. Vide saltem L. Ellies du Pin de antiquâ ecclesiæ disciplinâ diss. 5. C. 1. qui & C. 2. ita: *Si quid probat testimonium* Luc. XXII. 32. *plus probat, quam adversarii postulant. Non enim probaret tantum, Romanos Pontifices non posse à fide deficiendo aberrare, sed etiam nullatenus posse à fide & gratia excidere. Itaque intelligi debet ista promissio Christi de solâ Petri personâ. Docet id & intentum Christi prædicentis, futurum, ut Petrus aliquando ipsum negaret, ita tamen, ut a fide penitus & usque ad finem vitæ non excideret.* Addit, locum hunc a Patribus aliisque interpretibus Pontificiis, quos numero 43. adduxerit Launojus, ita explicatum fuisse p. 366. 367. Conferatur ex nostris maxime Gerhardus in Confess. Cathol. L. I. P. 2. C. 2. f. 104. sqq.

Claudant rivos Reformati, qui ex h. l. arguunt, fideles a fide deficere nunquam posse neque *formaliter* & *totaliter*, neque *finaliter*, partim, quod preces Christi semper exaudiantur, partim, quod in terminis dicatur, ne *deficiat* fides tua, partim, quod Petri fides non in *corde*, sed saltem in *ore* cessaverit, partim, quod id, quod pro Petro oravit Christus, orarit, & oret pro omnibus fidelibus Joh. XVII. 15. 20. Nec negari potest, esse & inter Patres, & inter Pontificios, ex quibus l. c. eminet Bellarminus, esse & Remonstrantes, uti ex collatione Hagiensi & Grotio ad h. l. patet, esse & ex Socinianis, nominatim Wolzogenium ad h. l. adeoque esse & ex illis, qui alias gratiam amissibilem statuunt, qui statuant, fidem Petri in abnegatione Christi non *prorsus* & *totaliter* cessâsse, id quod & aliquando imputatum fuit Joh. Musæo, Theologo nostrati, qui tamen sat se purgavit *in der Jenischen Theologen*

aus-

ausführlichen Erklärung p. 645. sqq. Sed facilis est responsio; nixa demonstratione, quam supra dedimus, abnegationem Christi a Petro factam esse peccatum mortale, quod juxta textum nostrum conversione eluendum erat, ad I. Preces Christi *absolutas* semper exaudiri, sed non *ordinatas*. Oravit enim, ut transiret passionum calix Matth. XXVI. 39. oravit & pro crucifixoribus suis Luc. XXIII. 34. II. Distinguimus inter deficientiam *totalem* & *finalem*, contra quam posteriorem oravit hîc Christus, perseverantiam *continuam* & *finalem*, pro quâ posteriore saltem oravit, oravit enim, ut e lapsu prævisio & prædicto resipisceret Petrus, etsi & *finaliter* deficere poterat, gratiæ per preces Christi partæ locum haud daturus. Quis dubitet, Davidem gratiâ divinâ excidisse per lapsus suos, homicidium maxime & adulterium, à quibus gratia ipsum revocabat denuo convertendum? III. Fidem cum abnegatione consistere non posse, alias lapsi in primitiva Ecclesiâ reverâ non fuissent lapsi ex gratia, quod est ἄτοπον dicere. Vide disp. Theol. Giess. T. 7. ubi n. 15. habetur disp. Fewerbornii de peccato in Sp. S. §. 138. sqq. p. 378. sqq. Accedit, abnegationem Petri non fuisse *simplicem*, sed *qualificatam*, gravissimum sane peccatum, 1. propter προαίρεσιν qualificatam, ter enim abnegavit Christum, peccatum ergo præcipitantiæ non exstitit, sed peccatum animi in abnegatione hâc obfirmati, 2. propter commissum mendacium triplex. Primo enim negabat, se intelligere, quid ancilla sibi velit, Matth. XXVI. 70. secundo negabat, se nosse, quis esset captivus ille Jesus comm. 72. tertio negabat, se esse illius discipulum Joh. XVIII. 17. quæ mendacia sane erant impudentissima, cum tam facile de contrario convinci potuerit, qui gladium contra eos strinxerat, qui Jesum duxerant captivum, & Malcho absciderat auriculam; 3. propter perjurium, quod commisit, firmando per juramentum, se non nosse hunc hominem comm. 72. 74. 4. propter vindictam divinam tam temere in se provocatam, si falleret. In tertia enim

abnegatione ἤρξατο καταναθεματίζειν, diris omnibus se devovere, si falsum diceret. Peccant, qui existimant, Petrum Christo anathema dixisse Act. XXVI. 11. qui sibi illud dixit, si falleret. Vide 1. Sam. XX. 13. 2. Sam. III. 35. XIX. 13. 1. Reg. II. 23. XIX. 2. 2. Reg. VI. 31. Act. XXIII. 14. Jam vero maledictionem divinam sibi imprecari, si quis in Christum crediderit, cum fide in hunc non potest consistere. 5. propter ea, quæ abnegationem hanc comitabantur. Id enim, quod antea de Christo confessus erat, nunc diffessus est, ex captura Christi scandalo accepto, quo, qui putaverat, hoc Filio Dei haud accidere posse vel debere Matth. XVI. 22. actus haud credidit amplius, talem esse, quem crediderat anteà, saltem subdubitavit, nec tanti esse hunc hominem, propter quem & ipse periculum capturæ incurreret, quod tamen metuere ne quidem tantopere debuerat, cum, capto Christo, à discipulis abstinerent captores sinerentque ipsos abire in fugam. Hæc cum ita habeant, dici sanè haud potest, Petrum in mediâ abnegatione mansisse fidelem in corde, & permansisse in statu gratiæ, maxime, si consideraverimus, Petrum non saltem tantis promissis se obstrinxisse Salvatori, sed & tot miraculis atque postremis etiam in sui captura patratis a Christo de persona ipsius, quanta & qualis esset, non potuisse non esse convictissimum. Jam et, si opponatur, non sequi ex eo, quod Christus Petro dicat, *& tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos*, peccatum hoc fidem ipsius excussisse, quia male sic habeat versio, vertendumque sit, *& tu, aliquando convertens fratres tuos, eos confirma*, dici enim ἐπιστρέψας non ἐπιστρεψάμενος, ficulneam tamen hanc objectionem esse vel ex Luc. XVII. 4. Act. III. 26. IX. 35. patet, quemadmodum & illa interpretatio falsa est, quâ dicitur ἐπιστρέψας idem dicere ac *rursus*, uti e. g. Ps. LXXXV. 7. תשוב תחיינו recte Græci πάλιν σώσεις ἡμᾶς. Adde Ps. LXXI. 20. 21. In terminis enim lapsus Petri prædicitur à Christo, terminus à quo conversionis ipsius. Sed

nec

nec ex verbis Christi, quod contra Pontificios adhuc adjicimus, sequitur primatus ipsius & Pontificum Romanorum cum jurisdictione universali in totam Ecclesiam junctus, quia soli Petro injunctum fuerit, fratres confirmare. Ut enim taceamus, illum, qui alterum in bono monitis suis & repræsentationibus exemploque confirmat, nullam in ipsum jurisdictionem vel prioritatem ullâ ratione adipisci, generale hoc omnium doctorum Evangelii officium esse, firmare alios in fide, vel ex 1. Thess. III. 2. Apoc. III. 2. patet. Imò omnium fidelium officium esse, ut mutuo se confirment in bono, quis dubitet? Ita & mulieres confirmabant Apostolos Matth. XXVIII. 8. 11. & discipuli Emaunticici Luc. XXIV. 35. Id quod de Petro non legitur, cujus potius & cæterorum ἀπιστίαν & σκληροκαρδίαν increpuit Christus Marc. XVI. 4. & qui demum, cum apparentem vidisset Christum, & colloquentem audîsset, & ascendenti in Cœlos adfuisset, plenum animum resumsit, uti ex initio actuum Apostolicorum patet. Ne vacet nimis pagina, addimus quædam. Citavimus supra preces Christi pro crucifixoribus suis, militibus Romanis factas, ut ostenderemus, preces Christi non semper *absolutas* fuisse, quæ utique semper exauditæ fuere, sed & *hypotheticas*, quæ effectum suum non semper fuerint sortitæ. Opponi possit 1. haberi in textu saltem verbum ἄφες, *sine*. Orâsse Christum Patrem, ut permitteret, se à militibus crucifigi, & ostendisse his ipsis precibus, quantâ cum animi lubentiâ crucifixionem subiret. Ἀφιέναι idem hîc significare, ac ἐᾶν Luc. XXII. 51. 2. Exauditas quoque fuisse has Christi preces, si verbum significet, *remitte* hoc peccatum. Centurionem enim, qui militibus Christum crucifigentibus præfuerit, fuisse conversum Luc. XXIII. 47. 48. esseque valdè probabile, milites, qui jubente ipso Christum affixerint cruci, ipsius exemplum secutos. Matth. XXVII. 54. Marc. XV. 39. 3. Christum orâsse *indefinitè* non præcisè pro militibus omnibus illis, qui ipsum crucifixerint, sed precibus istis

indefinitis orâsse pro *electis* inter illos milites, præcipuè verò Judæos, qui illum ad crucem postulaverint. Atqui verò constat, quòd magna horum multitudo fuerit conversa posteà ad Christum, vi harum ipsius precum, prorsus sic exauditarum Vide Act. II. 37. 38. 41. IV. 4. VI. 7. XXI. 20. Ejusmodi locutiones indefinitas, pro ratione circumstantiarum restringendas, passim legi In sacris. Matth. XXI. 31. 1. Cor. I. 27. 28. Jac. II. 5. Vide Marckii syllogen dissertationum in sel. textus N. T. Ex. XI. 4. Distinguendum esse inter preces Christi Sacerdotales, quæ semper exauditæ fuerint, & preces merè humanas, ex humano saltem affectu ortas, quales hæ fuerint, & fuerint quoque illæ Matth. XXVI. 39. quæ tamen & exauditæ fuerint, transiisse eam calicem per consummationem passionum, & ita non saltem Christi sed & Patris adimpletam voluntatem. Joh. XII. 27. Ita Camero in prælect. de Ecclesiâ Opp. f. 229. ita Coccejus apud Marckium, ita Maresius in Syst. Theol. Loco X. §. 54. ita Heideggerus in Corp. Theol. Loco XIX. §. 95. 5. Christum orâsse pro crucifixoribus, quatenus ipsi donati sint tales, pro qualibus oraverit, in ipsorum locum. Ita Coccejus, memorante Marckio. 6. Christum verbo ἄφες saltem rogâsse pro dilatione & diminutione pœnæ & illius temperamento, quæ mens est Curcellæi & Wolzogenii, notante Marckio, vel pro non imputatione saltem hujus peccati, quod patrabant crucifixores Christi, nescii, quid facerent. Carnificis non est inquirere in reatum rei. Posteriores exceptiones sua sponte cadunt, maximè, cùm & remissio peccatorum partialis haud detur, & servum pravi facinoris ejusque liquidi nec carnifex se præbere debeat. Oravit sc. Christus pro conversione crucifixorum suorum, ad remissionem peccati immanis, quod committebant, necessariâ. Quarta contra communicationem operationum Christi peccat. Omnes preces, quas fudit Christus pro peccatoribus, Sacerdotales & mediatoriæ sunt. Quis dubitet, intercessionem Christi pro peccatoribus ad officium Ipsius Sacerdotale adeoque & meritorium spectare? Jes. LIII. 12. Joh. XVII. Rom. VIII. 34. Ebr. VII.

25. 1. Joh. II. 1. 2. - Tertia contra clara textus verba militat, quæ inferunt, Christum præcisè pro crucifixoribus orâsse, inter quos si finxeris absolutè electos vel reprobos, egeris sanè ex præjudicio in textum non intrudendo gratis. Id quod & contra secundam notandum est. Si crucifixores Christi eandem cum Centurione induissent mentem, sanè factum tàm notabile narraret historia Evangelica. Prima objectio nullius momenti est, maximè si conferas Jes. LIII. 12. Nec dicitur in textu: ἄφες αὐτοὺς sed αὐτοῖς. Accedit locus parallelus Act. VII. 60. coll. Matth. V. 44. 45. Quod denique spectat Matth. XXVI. 39. primò preces istæ quàm maximè fuere mediatoriæ, docent enim, Christum gustâsse summam passionum acerbitatem, secundò precabatur Christus, ut tùm transiret calix, quùm orabat, tertiò voluntas, quæ preces hasce hypotheticas effudit, non erat *formalis* & *absoluta*, sed horrorem saltem innuit humanitatis Christi naturalem ex consideratione imminentium passionum tàm gravium & acerbarum oriundum. Vide diss. nostram de Christo facto peccato p. 5. 6. & lect. Germ. in Theol. Dogm. p. 232. 233. Denique & ad has preces respici Hebr. V. 7. prorsus existimârim, ubi de Christo dicitur, quod *in diebus carnis suæ preces & supplicationes cum magno clamore & lachrymis fuderit ad eum, qui potuerit salvare illum ex morte, & quòd fuerit quoque exauditus.* Ast, si exauditus fuit, resuscitatus enim fuit ex mortuis, cur, quæso, hunc locum producimus ad probandum, dari *preces* Christi *hypotheticas*, non exauditas? Respondeo, preces hasce non statim fuisse exauditas, quatenus calix passionum à Christo non transiit statim, cùm eas funderet, sed exauditas demùm postea, cum, consummatis passionibus & insecutâ morte transiret calix evacuatus, cùm & resuscitaretur è morte.

TANTUM.

Clarissimo Domino Re
salutem

PR

EGregiè prorsus res tuas ag
impigram studiis operan
dignis illa ornas, & specime
Defendendam Tibi dedi diffe
quid in thesi & quid in antit
potes. Macte hâc tuâ virt
orna & in hoc, quod ingress
sit tecum, & auram Spiritûs
studiis tuis. Vale. Dedi è

VErba dedit Petrus; *re* ni
Ore? tamen dominum
Credere vera, loqui pulchr
Si procul a verbis vivida
Hinc, TIBI, jure placet do
Qui socios testes cordis &
Ergo *fidem vegetam*, SCHLE
Deficiente bonâ, deficit o
Venerabil
Am

CUm Tua magnanimos s
A quibus exitium jan
Ascendens cathedram soliu
Quod vero ac meritis gl

Ita Venerabili a
Commiliton
quam mag
M. W.

❁):(❁

omino Respondenti, Cognato suo perdilecto salutem & encomia dicit

PRÆSES.

s tuas agis, clarissime SCHLEICHI, quod & s operam navas & moribus Studioso Theologiæ specimen quoque eorundem edis Academicum. edi dissertationem, cujus dextrâ defensione & in antithesi & quid in exegesi valeas, ostendere tuâ virtute cathedram pulchris responsionibus d ingressus es, stadio felicissimè perge. Deus Spiritûs sui sancti prolixe afflet, benedicatque Dedi è Musæo d. 10. Jan. A. 1746.

---

is; *re* nil, plus præstitit *ore*:
dominum tertia lingua negat.
ui pulchre, quid profuit unquam,
s vivida πρᾶξις abest?
placet doctrinæ sanctior usus,
cordis & oris habet.
, SCHLEICHI, *servare* memento.
deficit omne, *fide*.

Venerabili atque Clarissimo Domino Respondenti, Amico Optimo, apposuit

M. JOH. FRID. RASER.

---

animos spirent præcordia nisus,
itium jam timet error inops,
am solium calcare videris,
eritis gloria fasque struunt.

nerabili atque Clarissimo Domino Respondenti, fratri & Commilitoni æstumatissimo brevius quidem & sincerius, uam magnificentius adplaudere voluit

M. W. F. SEUBERT, Ser. Stip. & S. S. Th. Stud.